

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM.

DECRETUM PUBLICATUM DIE 8 DECEMBRIS 1870
IN PATRIARCHALIBUS URBIS BASILICIS INTER MISSARUM SOLEMNIA,
QUO SANCTUS IOSEPHUS CATHOLICAE ECCLESIAE
PATRONUS DECLARATUR.

DECRETUM URBIS ET ORBIS.

« Quemadmodum Deus Iosephum illum, a Iacob Patriarcha progeni tum, praepositum constituerat universae terrae Aegypti ut populo frumenta servaret, ita, temporum plenitudine adventante, cum Filium suum Unigenitum mundi Salvatorem in terram missurus esset, alium selegit Iosephum, cuius ille primus typum gesserat, quemque fecit Dominum et Principem domus ac possessio- nis suae, principaliumque thesaurorum suorum custodem elegit. Siquidem desponsatam sibi habuit Immaculatam Virginem Mariam, ex qua de Spiritu Sancto natus est Dominus Noster Iesus Christus, qui apud homines putari dignatus est filius Ioseph, illique subditus fuit. Et quem tot reges ac prophetae videre ex optaverant, iste Ioseph non tantum vidit, sed cum eo conversatus, eumque paterno affectu complexus deosculatusque est; necnon solertissime nutrivit, quem populus fidelis uti panem de coelo descensum sumeret ad vitam aeternam consequendam. Ob sublimem hanc dignitatem, quam Deus fidelissimo huic servo suo con- tulit, semper Beatissimum Iosephum, post Deiparam Virginem eius Sponsam, Ecclesia summo honore ac laudibus prosequuta est eiusdemque interventum in rebus anxiis imploravit. Verum, cum tristissimis hisce temporibus Ecclesia ipsa ab hostibus undique inse- ctata, adeo gravioribus opprimetur calamitatibus, ut impii homines portas inferi adversus eam tandem praevalere autumarent, ideò Venerabiles universi Orbis Catholici Sacrorum Antistites suas ac Christifidelium eorum curae concreditorum preces Summo Pon- tifici porrexerint, quibus petebant, ut Sanctum Iosephum Catto»-

licae Ecclesiae Patronum constituere dignaretur. Deinde, cum in Sacra Oecumenica Synodo Vaticana easdem postulationes et vota enixius rénovassent, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX nuperrima ac luctuosa rerum conditione commotus, ut potentissimo Sancti Patriarchae Iosephi patrocinio Se ac Fideles omnes committeret, Sacrorum Antistitum votis satisfacere voluit, eumque **CATHOLICAE ECCLESIAE PATRONUM** solemniter declaravit; illiusque festum die decimanona Martii occurrens, in posterum sub ritu duplii primae classis, attamen sine octava ratione Quadragesimae, celebrari mandavit. Disposuit insuper ut, hac die Deiparae Virgini Immaculatae ac castissimi Iosephi Sponsae sacra, huiusmodi declaratio per praesens Sacrorum Rituum Congregationis Decretum publici iuris fieret. Contrariis non obstantibus quibuscumque.*

Die viii Decembris **MDCCCLXX**.

C. Episc. Oslien. et Velitern. Card. **PATRIZI** S. R. C. Praef.
Loco gg Signi

Dominicus Bartolini S. R. C. Secretarius.

EPISTOLA CIRCULARIS

**AD SACRORUM ANTIQUITATES EADEM DIE DATA, QUA PUBLICO CULTUI PROSPICITUR,
QUI CONGRUE RESPONDEAT NOVO TITULO EIDEM PATRIARCHAE JOSEPHO TRIBUTO.**

Riñe Domine

« Sanctissimus Dominus Noster Pius **PAPA IX**, satisfacere volens postulationibus omnium ferme Sacrorum Antistitum in Oecumenica etiam Vaticana manifestatis, Sanctum Patriarcham Iosephum Deiparae Virginis Sponsum declaravit Ecclesiae Catholicae Patronum, ut ipsa, in miserrima hac temporum angustia plurimis exagitata calamitatibus, illius patrocinio, destruttio tandem adversitatibus ac erroribus universis, secura Deo serviat libertate. Etsi autem Sanctissimus idem Dominus praefati Sancti Iosephi natale Festum die xix Martii occurrens sub ritu duplii primae classis in posterum celebrari mandaverit, tamen a